
3 2044 106 359 961

MG
6
.B86



Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/dissertatioinaug1754buch

1518

V 986

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE PINASTRO SIVE PINO SYLVESTRI

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINAR.
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO,
IMPERIAL. ACAD. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS
DIE X. SEPTEMBRIS CIↃ IↃCCLIV.
H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

GOTTLIEB ENGELBERT FVCHS
STREHLENSIS SILESIVS.

HALAE AD SALAM
E TYPOGRAPHEO CVRTIANO.

LXIII.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

PINASTRO

SIVE

PINO SYLVESTRI.

PROOEMIVM.

Non vltima profecto laude digna mihi eſſe videntur illorum conamina de arte ſalutari bene merendi, quibus non deeſt ſtudium vel amplificandi, vel illuſtrandi illam doctrinam, in qua variorum medica-

 men-

mentorum facultates explicantur. Quum enim in artis ſalutaris exercitio occupati ſanitatem corporis humani praeſentem conſeruare, atque amiſſam denuo reſtituere intendant: idem absque vſu certorum remediorum, ad corpus applicandorum, nunquam fieri poſſe, manifeſtum erit.

Neceſſaria ideoque hic etiam erunt varia medicamenta; neceſſaria cognitio facultatum, quibus illa pollent, applicata ad corpus humanum, modo huic, modo alii ſtatui obnoxium. Innumera ſunt, quae in tribus illis regnis naturae continentur corpora naturalia, quorum permulta huic ſcopo conuenienter conſideranda ſibi vindicauit materies medica.

Tantum vero abeſt, vt haec doctrina ſatis culta ſit, vt potius a multis mendis repurgari debeat. Quod mihi eo magis neceſſarium eſſe videtur in eo medicamentorum genere, quod et vulgare, et vilioris pretii eſt. Huiusmodi enim

medi-

medicamentorum vſus magis communis eſt, ideoque frequentiſſimae ſunt noxae, quae inde corpori humano inferuntur, ſi illorum facultates non accurate determinatae fuerint. Operae igitur pretium fore iudico, indicatae conditionis medicamenta ſollertius ſub examen vocare, vt certi quid de illorum vſu conſtitui poſſit. Inter haſce meditationes cogitanti mihi de themate quodam elaborando, quod ſpeciminis loco exhiberi poſſet, id a me iam exigentibus legibus academicis, dum animum induxi, cathedram academicam, ad ſummos in Medicina honores legitime obtinendos, conſcendere, *Pini ſylueſtris* conſideratio ſe mihi praecipue commendabat, neque indignum videbatur argumentum Diſſertatione inaugurali. *Pinaſter* enim admodum vulgaris arbor eſt in noſtris aeque, ac aliis terris. Varia ſunt, quae inde ars eduxit, quorumque vſus frequentior inter alia ideo forſan ad ſanitatem obtinuit, quoniam inde parata perexiguo pretio haberi poſſunt. Quam

in rem explicatius inquirere apud me nunc conſtitui. Faciam id eo ordine, vt arboris, ad conſiderandum mihi ſelectae, loca natalia, notas, quibus a reliquis diſtinguitur, indeque parata prius enarrem, deinde de horum vſu diſſeram. Quo itaque modo huius rei tractatio commode in *duo Capita* diſpeſci poterit; quorum *prius* ea in ſe continebit, quae ad Pini ſylueſtris hiſtoriam ſpectant, *alterum* vero varia vtilia dogmata, excoctorum ex iſta arbore medicamentorum vſum et abuſum praecipue commonſtrantia, in ſe comprehendet. Faxit DEVS feliciter!

CAPVT I.

PINASTRI HISTORICAM CONTEMPLATIONEM SISTENS.

§. I.

Tanta quondam erat apud Veteres arboris noſtrae exiſtimatio, vt inter ſacras fabulas eidem locum concederent. CYBELE, magna mater Deum, quae ISIDIS, DEAE SYRIAE, et multis aliis nominibus in fabulis innotuit, adoleſcentem quendam ſibi ſelegit, qui ſacerdotis munia apud ipſam obiret, nunquam immemor voti caſtitatis, quod DEAE ſuſciperet. Lectus a DEA ad hocce ſacerdotium iuuenis vocabatur ATTIN, vel, vt alii contendunt, ATTHIN, ſiue ATTIS, ATTHIVS, ATTYS, ATYS, ATTES. Sed mox effluxit ex ſacerdotis animo facti voti memoria. Quod eo magis neceſſum eſſe debuit, quum illius amore DEAM exarſiſſe fabula narret. Nihilo tamen minus, ob laeſam caſtitatem, iram DEAE ſuae ſibi contraxerat grauiſſimam, quam leniturus ſemetipſum euiraſſe, vel idem ei a Domina ſua, ſic ſentientibus aliis, factum eſſe, inſuperque paratum fuiſſe dicunt ad ſeſe occidendum. Qua miſeri conditione DEA commota, illum in *Pinum* commutauit, atque ex eo tempore conſtituit, vt nemo alius, quam qui ad exemplum ATTINIS virilitate priuatus foret, ad honorem

Pini ſylueſtris ſanctitas in fabulis.

norem ſacerdotis admitteretur. *Conf. Franciſcus* POMEY *in Pantheo mythico Part. II. de Diis terreſtribus.*

§. II.

Illius loca natalia.

Verum enim vero, miſſis iam iſtis commentis ingenuis, animum potius conuertam ad iudicanda loca natalia arboris noſtrae. In regionibus frigidioribus, et quae Septentrionem magis ſpectant, Pinaſter copioſiſſime creſcit. Amat terram arenoſam, ſiccam, in qua radices agit longiſſimas, tantamque proceritatem ſaepe adipiſcitur, vt cacuminibus ſuis nubes pertingere videatur.

§. III.

Pini ſylueſtris diſtinctio apud Veteres.

Veteribus ſolemne erat arborem noſtram diuidere in marem et feminam. THEOPHRASTVS ERESIVS *in Hiſtor. plant. Libr. III. Cap. X.* Macedones et alios hac in re ſequutus, marem exiſtimat eſſe breuiorem, foliis duriorem; feminam vero magis conſpicuam ſui proceritate, foliorum pinguedine et mollitie. Atque differentiam iſtam, ex iudicio caeſorum materiei, inter marem et feminam ſtirpium obtinere, nunc modo citatus Auctor aſſeuerat. Non eſt vero, vt tam lubricis principiis, obſeruationibus puta et iudiciis lignatorum materiariorumque ſuperſtructam rem botanicam vlterius proſequamur, vnde innumeri fere errores in hiſtoriam naturalem irrepſerunt: magis potius ſolliciti de certioribus characteribus colligen-

gendis, quorum ope Pinus ab aliis arboribus, immo illius vna ſpecies ab alia facile diſtingui poterit. Quod proxime ſequentibus §§. efficere conabimur.

§. IV.

Curatiorem hic merentur contemplationem partes vegetationis. Habet Pinus ſylueſtris caudicem plerumque diſtrictum, aliquando etiam rectum. Ad corticem illius ſi reſpicis, illum diuerſum quoque eſſe deprehendes. Nam qui ad inferiorem arboris partem haeret, multis rimis diſtinguitur, ſcaber eſt et colorem refert cinereum; qui vero ſuprema arboris loca occupat, plenus ſquamarum, rubicundus, atque in ramis tenerioribus vt Laurus liueſcit. Surculi ramorum huius ſunt conditionis, vt facillima vi frangi poſſint; fracti exhibent poros exiguos, inter corticem ſitos, reſinam fundentes. Non vna eademque videtur eſſe ratio ramorum in arbore adulta, & adhuc iuniore: illa enim notata eſt ramis in varios ſinus reflexis; haec vero magis rectum excurrentibus. Folia tenuia ſunt, rigida, foliis abietis & piceae multo longiora, ſemper gemina, ex vno quaſi tubulo egredientia, ſed in iſto exitu connexa, concaua ad interiorem, qua ſeſe contingunt, partem, acuta porro ſunt, pungunt, guſtui faciunt adſtrictionem, ramosque circum circa veſtiunt. Coni, quibus Pinus noſtra gaudet, ſunt ex permultis ſquamis compacti, ad turbinem

Eius notae a partibus vegetationis.

accommodati, ſuſpenſi ex pediculo perbreui, ad ramulorum latera, modo recti, modo in ſe recuruati ita firmiter haerent, vt neſciant prius dehiſcere, quam ad maturitatem perductis nouis aciculis, qui erumpunt. Iſtae conorum ſquamae figuram referunt oblongam, ſub quibus ſemen reconditum latet, alae ſimile, magnitudine aniſi ſemini proximum, nigricantis coloris, plerumque medulla alba repletum, a qua olfactus aeque ac guſtus valdopere adficiuntur. Vid. RAII *Hiſtor. plantar. T. II.* Lib. XXV. Cap. II. n. 3.

§. V.

Differentia Pini ſatiuae a ſylueſtri.

Deſcriptio partium vegetationis, quam §. praeced. in ſe continet, de Pino ſylueſtri valet, vtpote quae ſufficere poterit eidem diſtinguendae a reliquis ſui ſpeciebus. Nam quod praecipue ad *Pinum ſatiuam* attinet, quae in Italia, Hiſpania & multis aliis terris, quae mitiori coelo ſubiacent, ſponte ſua creſcit, illa iam notiſſimis nucleis ſuis ſeſe a noſtra Pino inter alia diſcernit. Non adeo dulces & ſapidi ſunt nuclei, quos noſtra Pinus offert, quam qui a Pino ſatiua colliguntur, vt pro more Italorum menſis ſecundis inſtruendis inſeruire poſſent.

§. VI.

An Taeda Pini ſpecies?

Quandoque fit, vt Pinus ſylueſtris in Taedam tranſeat, quando eius fibrae ligneae ſubſtan-

tia

tia quadam oleoſo-reſinoſa tantopere abundant, vt ad tactum inſigniter pingues appareant. Quod ad morbos arboris referri poſſe videtur. Igitur non absque veri ſpecie I. BAVHINVS, MATTHIOLVS, BELLONIVS, *Caſp.* HOFFMANNVS, BODAEVS a STAPEL, pluresque alii viri de re herbaria optime meriti, PLINIVM erroris cuiusdam accuſarunt, qui Taedam ſui generis arborem eſſe arbitratus eſt, illamque ad ſextum coniferorum genus retulit. Haud ita diſſimilis ergo veritati apparet DALECHAMPII, CLVSII, PARCKINSONII aliorumque ſententia, vbi Taedae vocabulum pro homonymo ſumitur, quod modo lignum Pini reſinoſum & pingue denotat, cuius vſus loco lucernae vel candelae eſſe poteſt; modo arborem ſui generis, THEOPHRASTO ignotam, ſignificat. Parari adhucdum ſolent ab incolis Sileſiacis ſibique vicinis aſſulae longae ex Pini ligno pinguiori, quibus inſtar lucernae & candelae vtuntur. Atque iſte vſus veteribus etiam frequens erat. Vnde taeda pro face, praeſertim nuptiali, accipiebatur. OVID. *Metamorph. I*

At tibi ego ignarus thalamos TAEDA*sque parabam.*

Conf. RAII *Hiſtor. Plant. l. c.*

§. VII.

Pinaſtri characteres a partibus fru-

Quum incomparabilis LINNAEVS noſtraque laude multo maior, in ſcriptis ſuis, ad rem botanicam pertinentibus, euidentiſſime oſtenderit, nulla cer-

ctificationis. certiora ſigna proſtare ad plantas inter ſe dignoſcendas, quam quae ab illarum partibus fructificationis petuntur, atque vix aliud breuius compendium eſſe in iſta doctrina; hinc iuvabit ex eius Generibus Plantarum noſtrae etiam Pini deſcriptionem hic transferre. Vid. LINNAEI *Genera Plantarum, Genus 879. p. m. 357.* Continetur vero iſta arbor in Claſſe vigeſima prima, eſtque Monoecia Monadelphia.

Maſculi flores in racemos diſpoſiti.

Cal. Perianthium tetraphyllum, caducum: foliolis oblongis, oppoſitis longioribus.

Cor. Nulla.

Stam. Filamenta plurima, connata, inferne in columnam erectam, calyce longiorem, apice diuiſam. Antherae didymae, ſubrotundae.

Feminei flores in globos diſpoſiti, in eadem planta.

Cal. Conus communis ſubovatus, inaequalis, conſtans. Squamis bifloris, oblongis, apice latioribus, craſſioribus, obtuſis, gibbis, imbricatis, perſiſtentibus, rigidis.

Cor. Nulla.

Piſtil. Germen minimum. Stylus ſubulatus. Stigma ſimplex.

Per. Nullum. Conus calycinus, antea clauſus, nunc conniuens.

Sem.

Sem. Nux aucta ſuperne ala membranacea, ſemine maiore, ſquama coni minore, oblonga, hinc recta, inde gibba.

Obſ. Pinus polycotyledon eſt, contra ac aliae plantae.

§. VIII.

Ab habitu foliorum externo.

Neque ſilentio hic praetermittenda erit illa ſpecierum Pini differentia, quam idem famigeratiſſimus LINNAEVS deſumſit ex habitu foliorum externo, totumque Pini genus in ſpecies diſtribuit. *Vid. ei. Spec. plant. Spec. I. p. 1000.* Harum ſpecierum aliae compluribus foliis, ex eadem baſi vaginali egredientibus, gaudent; aliae vero foliis ſolitariis baſique diſtinctis notantur. Primo nunc enarratarum ſpecierum ordini noſtra Pinus accenſenda erit, quippe quae a reliquis ſequentem in modum ſeſe diſtinguit. Pinus foliis geminis, primordialibus ſolitariis, glabris. *Hort.* CLIFFORT. 450. *Flor. Svec.* 788. *Mater. Med.* 434. ROY *Lugd.* 89. DALIB. *Pariſ.* 295. GMELIN *Sib.* I. p. 178. Pinus ſylueſtris BAVH. *Pin.* 491. *Flor. Lappon.* 346. DALECH. *Hiſt.* 45.

§. IX.

Pini ſylueſtris vſus apud Lappones.

Enarratis hucusque iis, quae ad doctrinam botanicam Pini ſylueſtris pertinent, huius iam hiſtoriam amplius proſequar. Dictum iam erat (§ II.), quantum ſibi plagas coeli magis frigidas vindicet arbor noſtra. Quae ideoque per totam quo-

que Lapponiam copioſiſſime creſcit, atque incolis ibidem ſingularem quendam vſum praeſtat. Quando enim Lappones in vaſtiſſimis ſyluis oberrant, atque in iſto errore ſibi conſulere volunt, vt intelligant, ſub qua praeſertim plaga coeli nunc detineantur, Pinis ſylueſtribus loco pyxidis magneticae vtuntur: Nulli enim, vel ſaltem pauci rami in iſtis arboribus a parte ſeptentrionali frigidiſſima, complures vero a parte auſtrali excreſcunt. Vnde ex defectu multitudineque ramorum in Pino ſylueſtri dignoſcuntur coeli cardines. Qua quoque arbore ad veſtimenta & armaturam vtuntur. Seligunt ad hunc finem ligni partem duriorem quam *Kioern* ſeu *Tioern* vocant, vnde ſibi ſoleas longiſſimas, quibus incedunt, & arcus parant. Atque ad alimenta Lapponibus praebenda inſeruire debet Pinus ſylueſtris, vnde ſibi panem conficiunt. Non niſi arbores proceras parumque ramoſas ad hunc ſcopum eligunt; nam humiles, multisque ramis praeditae, ingenti reſinae copia ſcatent, & ideo inutiles habentur ad victum ſibi inde parandum. Abraſo iam ex lectis ſibi arboribus cortice exteriore, qui acidus valdeque ſquamoſus eſt, interiorem, vtpote mollem, fibroſum, candidum, ſucculentum, ſtudioſe detrahunt, ſiccant in vmbra, ſeruantque ad vſus futuros. Solet huius corticis ab arboribus ſeparatio eo tempore ab ipſis fieri, quo alburnum molle eſt, & ſua fere ſponte, ſine praeuia quadam operoſa tractatione, ex ligno diſcedit; alias enim difficulter illa acquiritur. Quando

iam

iam in vſum trahitur collectus ſiccatusque cortex, leuiter ſupra prunas aſſatur, factusque poroſior & craſſior comminuitur, tandemque lapidi molari ſubiicitur, in farinam redigendus. Iſta farina cum aqua ſubigitur, longaque agitatione inde conficitur maſſa, vnde panes tenuiſſimi & vix ad lineam accedentes formantur, in furno coquuntur, quibus ſaepe per integrum annum veſcuntur. *Conf.* LINNAEI *Flora Lapponica* p. 275. et 276.

§. X.

Quid per artificialem Pinaſtri tractationem ex eo obtineatur.

Ad ea quoque corpora naturalia pertinet arbor noſtra, quae artis beneficio varie tractari ſolent, vt inde quaedam vel educantur, vel producantur. Praecipua iam huius rei momenta enarrabo. Ingentem lignorum pinguis Pini ſtruem in furnis facere ſolent, ita conſtructis, vt ad illorum partem inferiorem aequabile aliquod ahenum referant, vbi ex accenſis lignis confluere poſſit, quicquid inde ſtillauerit. Tali modo collocatae ſtrui apponuntur ignes. Quo facto prodit primo liquidum quoddam tenue, ſubacidum, magis magisque volatile, quod *phlegma*, vel *ſpiritum Pini* dicere ſolent; vnde poſt rectificationem in veſica *oleum Pini* obtinetur, eiusdem indolis, qua complura alia olea aetherea gaudent. Aucto poſtea igne, deſtillat in furno liquor quidam ſpiſſior, empyreumaticus, huius conditionis, vt illius pars quaedam poſt ſui refrigerationem naturam corporis ſolidi & ſicci impetret, alia vero fluida permancat

maneat. Pars iſta ſolida & ſicca *pix ſicca*, ſiue etiam *naualis* vocatur, quia eadem naues induci ſolent; pars vero fluida nomine *picis liquidae* inſignitur, atque a Germanis *Theer* appellatur. Vtraque pix copioſiſſime excoquitur in Polonia, Ruſſia, Norwegia, Svecia, vnde ad alios populos transuehitur. Quae quoque in nonnullis tractibus Germaniae paratur, praeſertim in Thuringiae & Hercyniae ſyluis, eiusdem ſane bonitatis eſt, qua pix parata in terris magis ſeptentrionalibus praedita eſſe putatur. Patet iam ex iſta deſcriptione, picem parari beneficio deſtillationis per deſcenſum, ex accenſis lignis pinguioribus multaque reſina turgidis. Vnde praeter Pinum aliae quoque arbores eidem ſimiles, vt Abies, Terebinthus, Cedrus, in iis regionibus, vbi copioſe habentur, huic ſcopo inſeruiunt. De fuligine, quae per deſcriptam picis praeparationem ſimul obtinetur, non eſt vt ex inſtituto dicam, dum ea ex quouis ligno, flammis combuſto, oritur.

§. XI.

Variae picis naualis affectiones.

Picis naualis ſequentes eſſe deprehenduntur affectiones. Spirat illa odorem balſamicum, grauem; ſapori amaricans eſſe, ſenſumque quendam adſtrictionis producere videtur. Ab adfuſo eidem Spiritu vini rectificatiſſimo pars eius quaedam ſoluitur; cui ne aqua quidem parcit. Haec enim, cocta inprimis cum pice ſicca, huius partem quandam in ſe recipit. Videre quoque licet in

in operibus ligneis, pice obductis, quantum pluuiae, aut aquae alio modo ad illa admiſſae, picem ipſis demant. Relinquuntur tamen permultae partes maſſae piceae, quae neque a ſpiritu vini, neque ab aqua ſolvuntur.

§. XII.

Aquae praeparatio ex pice liquida.

Genti Americanae picis liquidae, cum aqua infuſae, vſum internum perquam familiarem eſſe, in peculiari Tractatu docuit D. *Georg.* BERKLEY, Epiſcopus Cloynenſis in Hibernia. Factum inde eſt, vt vſu huius aquae vix cognito, ille mox ad Anglos & reliquas gentes Europaeas translatus fuerit, ita vt aliquot abhinc annis aqua picis liquidae inſtar medicamenti fere uniuerſalis, potentisque ad omnes morbos perſanandos, praedicari coeperit. Paratur vero iſta aqua, quam Germani das Theer-Waſſer vocant, ſequentem in modum. Pici liquidae adfunditur certa quantitas aquae purae frigidae, facta demum agitatione, vas, in quo haec continentur, quietum relinquitur, vsquedum pix ad fundum conſederit. Quo peracto, aqua caute decantatur, ſeruaturque ad vſus. Acida eſt & empyreumatica. Conf. *Ioann. Anton.* BEVRERI *Examen chemicum Picis liquidae, tam illius, quae in Norwegia, quam eius, quae in Thuringia paratur*, in Append. Volumin. X. Actor. Nat. Curioſ. pag. 159. ſqq.

§. XIII.

Tranſitus ad Caput ſequens.

Atque haec praecipua puto eſſe momenta, quae ad Pini ſylueſtris cognitionem hiſtoricam ſpectant. Reſtat iam, vt hiſce quoque ea adiungam, quae rationes complectuntur, vnde productorum inde medicamentorum vſus determinari poterit.

CAPVT II.

SPECIALEM MEDICAMENTORVM EX PINASTRO PARATORVM VSVM EXPONENS.

§. XIV.

Inſtitutum huius Capitis.

Quoniam nihil certius eſt, quam quod medicamenta agant ob ſui mixtionem & corporis humani conditionem, qua iſtud gaudet, dum illa eidem applicantur: patebit iam inde, noſtrum fore, dum hoc loco de medicamentorum, quae Pinus ſyluestris ſuppeditat, ſpeciali vſu diſſerere volumus, vt partim in illorum partes conſtitutiuas inquiramus, partim quoque illas conditiones corporis humani enarremus, ſub quibus medicamenta iſta ſalutarem quendam effectum praeſtare valent.

§. XV.

Mixtio picis ſic-

Quod itaque ad *picem ſiccam* attinet, de illius mixtione mox conſtare poterit, ſi ea nempe

ſerio

ſerio perpendantur, quae in ſe comprehendit §. XI. Expoſitum vero eſt in iſto loco, quod pix naualis odorem balſamicum grauem referat, ſaporem afficiat, eiusque pars quaedam a ſpiritu vini rectificatiſſimo, quaedam ab aqua ſoluatur; relictis multis illius partibus, neutri menſtruo obtemperantibus. Quia vero ſpiritus vini rectificatiſſimus corpora ſolum reſinoſa aggreditur, hinc de reſinoſis quoque partibus, quae pici ſiccae inſunt, dubitari non poterit. Conſtat porro, ab aqua non niſi partes gummoſas & ſalinas ſolui, atque has vltimas ſapore percipi poſſe. Vnde iam colligere licebit, neque partes gummoſas, neque ſalinas pici nauali deficere poſſe. Quae quum etiam multas adhuc partes relinquat, neſcias amplius ſolui partim a ſpiritu vini rectificatiſſimo, partim ab aqua: has terreae indolis eſſe coniiciendum erit. Ob odorem tandem picis ſiccae balſamicum & grauem, eidem partes oleoſae, illaeque volatiles, denegandae haud erunt. Vt adeoque, prout ex modo adductis apparet, picem naualem intueri poſſis inſtar maſſae, commixtae ex partibus reſinoſis, gummoſis, ſalinis, terreis atque oleoſis iisque volatilibus. *cae examinatur.*

§. XVI.

Sed eaedem quoque partes conſtitutiuae in *pice liquida* obtinent, quas ſiccae in §. praeced. attribuimus. Quod ſimili modo, quo factum eſt iuxta *Quaenam picis liquidae partes*

conſtitutiuae. iuxta §. antea citatum, colligere licebit. Nam plane eadem ratio hic obtinet, quae circa picem ſiccam; ſiue illam referas ad modum, quo paratur, ſiue ad menſtrua, ſiue ad iudicium ſenſuum.

§. XVII.

Qualis mixtio aquae piceae. Neque iam difficulter cognoſci poterit *aquae, cum pice liquida paratae*, mixtio. Quum enim, id docente §. XII. ad illius praeparationem nullum aliud menſtruum, quam aqua ſimplex, ſumatur, quae pici liquidae adfuſa, atque cum cochleari aut bacillo ligneo bene ſubagitata, poſt aliquod tempus iterum decantari debet: nec aliis particulis iſta aqua impraegnata erit, quam quas menſtrua aquea ex corporibus, quibus adiiciuntur, recipere valent. Atque hae erunt ſalinae, gummoſae paucaeque reſinoſae, quae gummoſis ita tenaciter adhaerent, vt ſimul menſtrua aquea ingrediantur. Vnde fit, vt ſi huius aquae piceae portio quaedam in vitro vsque ad ſiccitatem euaporetur, atque tum ſpiritus vini rectificatiſſimus adfundatur, iſte tinctus compareat, relicta portione, quae non niſi ab aqua, eidem addita, demum ſoluitur. Ob partes igitur tam reſinoſas, quibus oleoſae & volatiles adhaerere ſolent, quam ſalinas, a quibus oleoſae & volatiles cum aqua ſubiguntur, fieri poterit, vt in aqua, ex pice liquida parata, partes quoque oleoſae volatiles contineantur. Id quod etiam ipſorum ſenſuum ope

ope confirmatur, ſiquidem iſta aqua adhuc ſat grauem odorem picis ſpirat.

§. XVIII.

Quodſi itaque medicamenta illa ſaponaceae indolis generatim eſſe dicantur, inter quorum partes conſtitutiuas etiam oleoſae & ſalinae continentur: certum foret, vt idem quoque nomen ſibi vindicet aqua picea; quippe quam requiſitae conditionis partes quoque continere, ex §. praeced. eluceſcit. *An ſit ſaponacea?*

§. XIX.

Videtur autem mihi neceſſum eſſe, vt hoc loco paullo explicatius diſſeram de natura ac indole principii ſalini, quo gaudet aqua picis liquidae. Nam praecipua inde determinari poterunt, quae illius effectum in corpore humano concernunt. Mediante guſtu acida cognoſcitur haec aqua. Atque eadem quoque ſyrupo Violarum adfuſa, huius colorem coeruleum in rubrum transmutat; efferueſcit etiam, ſi oleum tartari per deliquium eidem inſtillatur. Conf. celeberr. CARTHEVSERI *Fundam. Mater. med. Part. II. Sect. XII. §. IV.* Sed hae proprietates non niſi ſalibus acidis competunt; vnde ſalem acidae indolis in aqua picea latere conficimus. Quia etiam vegetabilium ſales acidi vitriolicae proſapiae ſunt: ideoque vix aliter comparatum erit cum ſale acido, *Eius ſal qualis?*

quem in ſe continet aqua picis liquidae. Duplicis vero generis deprehenditur eſſe acidum vitriolicum: aliud nempe erit volatile, aliud fixum. Quorſum vero iam referendus erit ſal acidus, quo praedita eſt aqua picea? Hunc ſi volatilium familiae adnumerares, haud ita procul a vero diſcederes. Adducit enim celeberr. CARTHEVSER *l. c.* experimentum, quod cum aqua picea inſtituit Excell. D. QVELLMALTZ. Abſoluta leni deſtillatione huius aquae, maſſae reſiduae, quae leuis, rara & nigricans apparebat, adfundebatur aqua pura fontana, quae ſaporem amarum impetrabat, atque ſyrupo Violarum admixta coeruleum eius colorem in viridem mutabat; vnde vrinoſi quid hic generatum fuiſſe colligi poterit, id quod in corporibus vegetabilium eo citius contingit, quo magis ipſis ineſt acidum vitriolicum volatile. Dignum foret, ad rem iſtam magis illuſtrandam, vt ex aqua picea, oleo tartari per deliquium ſaturata, generatus tartarus vitriolatus diligentius conſideretur; qui ſi flocculentus, vt nix, fuerit, de acidi vitriolici volatilis praeſentia vix amplius dubitari poſſet.

§. XX.

Picis ſiccae et liquidae vſus.

Quum in proxime antecedentibus §§. ea iam propoſita contineantur, quae faciunt ad intelligendam mixtionem picis tam ſiccae, quam liquidae, itemque aquae ex ea paratae: ſubiungenda

genda nunc erunt ea, quae commonſtrant, quid inde commodi in corpus humanum redundet. Picem ſiccam conſtare ex partibus reſinoſis, gummoſis, ſalinis, terreis, oleoſis volatilibus, monſtrat §. XV. Quam ob cauſſam eidem attribuere licebit virtutem moderate reſoluentem, diſcutientem, roborantem, balſamicam, exſiccantem & traumaticam. Quae vero quia admodum tenax eſt, interne vſurpata magis noceret corpori humano; ſiquidem inde perquam facile primae et ſecundae viae laederentur, vnde morborum maiora augmenta ſequerentur. Externe vero tutius adhiberi poterit; vnde emplaſtra diſcutientia, attrahentia, conglutinantia et ſic dictos dropacismos, quorum effectus in alopecia inprimis et paralyſi membrorum notiſſimus eſt, ingreditur. Fieri tamen poterit, vt emplaſtra, ex pice parata, ob eius tenacitatem, partibus quoque externis, quibus applicantur, quandoque valde noceant, dum in iſtis locis vaſa cutis exhalantia occluduntur, et tranſpiratio in- et ſenſibilis magis intercipitur, vnde partes externae, ab alio morbo iam laeſae, magis adhuc dicto modo laeduntur. Quod e re omnino erit vt in ſubiectis ſenſibilioribus ſpeciatim attendatur, vbi idcirco conſultius duxeris ab emplaſtris piceis plane abſtinere. Quum porro pix liquida ratione ſuae mixtionis conueniat cum ſicca, quemadmodum id ex § XVI. conſtat: quin eadem quoque iisdem virtutibus, quibus ſicca, polleat, vix in dubium vocari poterit. Et licet haec

fluidi

fluidi formam habeat, nihilo tamen minus eius uſus internus omittendus erit. Nam ab iſta quoque canalis alimentaris huicque annexae partes inuiſcari poſſunt. Ad eius vſum vero externum quod attinet, commode illa, ob vim ſuam balſamicam, ad vlcera putrida abſtergenda & conſolidanda applicari poterit; niſi ſubiecta nimium ſenſibilia fuerint, quibus a remediis reſinoſis ſalinisque acutiſſimi dolores inflammatorii circa loca exulcerata ſuboriri ſolent. Egregium interim picis liquidae effectum in vlceribus putridis probat illius frequentiſſimus vſus apud veterinarios, vtpote qui pice liquida armentorum vlcera, ſaepe foetidiſſima, aliquoties inungunt, eaque tali remedio penitus ſanant.

§. XXI.

Aquae piceae vires.

Sed multo amplius ſeſe extendit vſus aquae, quae ex pice liquida paratur. Solemne illam fuiſſe medicamentum, quod in omnibus fere regionibus ante aliquot annos in vſum trahebatur, dictum iam eſt in §. XII. Quantum hac in re veri ſitum ſit, nunc inquiri debebit. Manifeſto iam conſtat ex §. XVII. aquae piceae ineſſe partes ſalinas, gummoſas, itemque reſinoſas, oleoſas & volatiles ſatis actiuas. Et quod praecipue ad ſalem illi inhaerentem attinet, ille acidus & vitriolicae naturae eſt, prout hoc monſtrat §. XIX. Iam autem acida, praeſertim vitriolicae indolis, putre-

dini

dini reſiſtunt, tonum partium debilitatum roborant et augent, hocque rite reſtaurato, fluida per vaſa validius aguntur, indeque partim obſtructiones reſerantur, partim ſe - et excretiones promouentur. Gummoſo - reſinoſo - oleoſo - volatilia autem fluidorum motum progreſſiuum intendunt, moderatius tamen, largae quantitati aquae immixta, id quod in medicamento propoſito obtinet, ſicque inprimis ſeri excretiones promoueri poterunt. Adeoque exinde iam confici poterit, aquam iſtam pollere virtute balſamica, tonica, traumatica, aperiente, diaphoretica et diuretica.

§. XXII.

Vbi adhibenda?

Huius itaque aquae vſus patebit in morbis ex putrido ortis, variiſque exinde productis affectionibus partium ſolidarum; nec non in illo morborum genere, quod ex abiecto tono partium et ſeroſa colluvie originem ſuam ducit.

§. XXIII.

In quibus morbis laudetur?

Depraedicatur ergo vſus aquae picis liquidae internus in affectionibus ſcabioſis, cachecticis, catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis, ſcorbuticis, venereis, calculoſis, colicis, hypochondriaco - hyſtericis, viſcerum obſtructionibus et exulcerationibus, fluore albo, in febribus intermittentibus refractariis, et ſpecifice ad malignitatem variolarum aliorumque exanthematum tam praeſeruandam, quam mitigandam. Externe vero eadem illa aqua,

plus minusue ſaturata, in vlceribus rebellibus, putridis et malignis, pro abſterſione et mundificatione, et in affectionibus ſcabioſis, paralyticis, rheumaticis ac ſpaſmodico - convulſiuis ſub balnei forma laudatur.

§. XXIV.

Eius vſus ſpecificus in ſcorbuto.

Quamuis ex dictis ad §§. XXI. XXII. et XXIII. appareat, in quonam morborum genere vſus aquae picis liquidae obtinere queat: opus tamen erit, vt, ſi in huius rei certitudinem perveniре velis, ad illos caſus probe attendas, vbi aqua iſta porrigitur, tibique bene notes illos effectus, qui eius vſum exceperunt. Ita collectis conditionibus corporis, ſub quibus medicamentum, aegro exhibitum, ſalutare quidpiam praeſtitit, vſus eius et certior, et tutior in caſu ſimili erit. Vt vero hac occaſione redeamus ad aquum noſtram, adduci hic meretur illa relatio, quae inſerta eſt *Voluminis IV. Parti I. des Hamburgiſchen Magazins*, pag. 142. quae in ſequentibus conſiſtit: Angli quidam, in itinere marino conſtituti, Scorbuto corripiuntur. Malum adeo ſaeuiebat, vt inde multi ex aegrotantibus perirent. Irrito deprehenſo variorum remediorum vſu, quae ad malum perſanandum adhibebantur, refugium ſumebatur ad aquam piceam, cuius quoque vſus miſeris ſalutaris fuit. Vt igitur exinde certius colligi poſſit, ſcorbutum ad illos maxime morbos pertinere, qui ex putrido naſcuntur,

ſcuntur, vbi aqua picis liquidae ſpecificum quendam effectum edere videtur.

§. XXV.

Quando vero obſeruationes deficiunt, vnde conditio corporis aegri determinari poſſit, an in caſu dato medicamentum offerendum profuturum ſit: cautius tum procedendum erit cum vſu aquae piceae, maxime ſi res agatur aegrorum ſenſibilioris ſortis. Hi enim ab iſto medicamento, alias bonae notae, ita ſaepe laeduntur, vt illorum morbus, a quo detinentur, multo periculoſior fiat. Exemplo ſint delicatae foeminae hyſtericae, quae facile ab huius aquae vſu cardialgias, inſignes pectoris anxietates grauioresque orgaſticas humorum commotiones percipient. Et nonne in corporibus, ex febre maligna decumbentibus, vtpote defendendis ab omni irritante, ſanguinis maior expanſio concitatur a medicamento, quod empyreumaticum eſt, nec orbum partibus volatilibus? Manet interea aquae noſtrae ſua laus, maiorque profecto praerogatiua, prae eſſentia illa concentrata picis liquidae, quam inde per extractionem cum ſpiritu vini tartariſato parandam commendat D. HOMPSWOOD, Medicus quidam Anglus. Hocce enim medicamentum inter alia magis calefaciens eſt; ideoque illius vſus maiorem circumſpectionem poſtulabit.

Cautio circa eius vſum quando?

§. XXVI.

Modus vſurpandi aquam piceam.

Dum hucusque de vſu aquae piceae ad varios morbos diſſerui, merito nunc quaedam etiam proferenda erunt, circa eius modum adhibendi. Quouis anni tempore iſta aqua vſurpari, atque pro morborum differentia eius vſus modo diutius continuari, modo breuiori tempore abſolvi poterit. Prout etiam aegris magis conuenire videbitur, illam mox frigidam, mox tepidam adſumere poterunt. Ad quantitatem huius medicamenti quod attinet, ratio hic habeatur morbi, quo affligitur aeger, et conſtitutionis ventriculi. Vſu tamen receptum eſt, vt adultis haec aqua exhibeatur ad dimidiam vel integram libram, nonnunquam etiam ad duas libras, ita tamen, vt in duas, tres vel quatuor portiones primarias diuiſa, mane et veſperi, vel mane, veſperi, et prima, ſecunda, aut tertia hora poſt prandium, non vno hauſtu, ſed ſucceſſiue ſumatur. Multis ſub primo vſu huius aquae, praeſertim tempore matutino, nauſea, aut aliud incommodum circa ventriculum euenire ſolet. His ergo ſubueniendum erit vel imminutione quantitatis medicamenti adſumendi, vel ientaculo oblato, vel etiam remedio quodam ſtomachico, conuenienti tempore interponendo. *Conſ. celeberr.* CARTHEVSER l. c.

§. XXVII.

Spiritus Pini vſus.

Superius quoque (§. X.) *ſpiritus Pini* facta eſt mentio. De huius igitur vſu paucis ſaltem monendum

dum eſt, quod acidus ille ſit, qui ſtatim ab initio prodit, nec ita volatilem ſpiret odorem, quam ille, qui deinde extorquetur. Prior adeoque ſecurioris vſus erit, ac inprimis ſuſtinere poterit vices aceti cuiusdam bezoardici, in illis morbis non penitus contemnendi, vbi talia vulgo adhuc locum inueniunt.

§. XXVIII.

Oleum vero *Pini*, aliis *templinum* dictum, quod deſcripta in §. X. operatione inſimul ex huius arboris ligno obtinetur, eum in genere vſum praeſtat, quem ab aliis oleis aethereis expectare licet. Quia tamen illud oleo terebinthinae perquam ſimile eſſe, eidemque aequipollere experientia docuit; hinc in illis quoque caſibus adhiberi poterit, vbi alias olei terebinthinae concedi ſolet vſus. *Olei Pini vſus.*

§. XXIX.

Hanc ergo ob rationem oleum Pini claſſem diureticorum ſubibit, ſed valde calefacientium, adeoque ſolitarie vix vnquam, vel admodum caute concedendum erit. Securiorem et meliorem vſum praeſtabit in emplaſtris neruinis, reſolventibus et diſcutientibus, itemque in vnguentis digeſtiuis. *Eius vſus.*

§. XXX.

Sic ergo nunc autumo me praecipua, de Pini ſylueſtris et medicamentorum exinde paratorum vſu congruo, debite expoſuiſſe. Plura equidem his ſubiungi adhuc poſſent, de vſu eius in chymicis, oeconomicis et mechanicis, quibus tamen adducendis ſuperſedere facile poſſum, cum ad praeſens hoc inſtitutum non ſpectent. Vnde, abſoluta tractatione argumenti, quod mihi propoſueram, vela nunc contraho et diſſertationi impono *Concluſio.*

FINEM.

Nie wird, mein Freund, die ſchöpfriſche Natur
Sich an ein prächtig Wort und Lehr-Gebäude binden;
Wer ihre Regeln ſucht, der fehlet ihre Spur,
Wenn er ſich nicht bemüht ſie in ihr ſelbſt zu finden:
Vergebens ſchränckt der Geiſt ſie nach Geſetzen ein:
Wer ſie beherrſchen will, muß erſt ihr Sclave ſeyn.

Der Weiſe nur, der dieſe Wahrheit kennt,
Dringt mit geſchärftem Blick in ihre duncklen Wercke;
Die Kräfte, welche bloß ein andrer prahlriſch nennt,
Hat er geſchickt durchforſcht mit ungeſchwächter Stärcke;
Nie ſchmäht ſein frecher Mund, auf den er neidiſch ſpielt,
Den er, um groß zu ſeyn, doch öfters ſelbſt beſtiehlt.

Verlaßt den Weg, der euren Glantz befleckt,
Ihr denen Pallas Hand die Lorber-Kräntze windet!
Durchſucht der Cörper-Bau, den die Natur verſteckt,
Damit man euren Fleiß nicht bloß im Schreiben findet:
Fangt beym Verhältniſſe der kleinſten Theilchen an;
Denn wagt, was ſchon vor euch ein Leewenhoeck gethan.

Sein Fleiß hat uns der Pflantzen Bau gezeigt,
Wie einer Fichte Haupt mit feſt verwachſnen Röhren,
Von einigen durchkreutzt, bis in die Wolcken ſteigt,
Von kleinern eingefaßt, die ihre Fibern mehren,
Aus denen ſich der Saft in alle Adern gießt;
Mit Zellen, deren Oel in Hartz zuſammen fließt (a).

Auf dieſer Bahn wird einſt die ſpätre Welt
Der Pflantzen Bau und Kraft erſtaunten Enckeln lehren,
Und aus Erfahrungen, die kein Syſtem verſtellt,
Wird ihr entzücktes Ohr entdeckte Wunder hören.
Dringt Forſcher der Natur in ihre Heimlichkeit!
Damit ihr einſt mit ihr, gleich alt, gleich ewig ſeyd.

Hygee krönt, mein Freund, jetzt Deinen Fleiß;
Ich ſeh' den Lorber ſich um Deine Schläffe beugen:
Die Ehre ruft Dir zu, Du folgeſt dem Geheiß,
Von ihr geführt wirſt Du auf ihre Stuffen ſteigen.
Genieſſe ihrer Gunſt in ungeſtörter Ruh,
Und nimm an Glücke ſtets, wie ich an Freundſchaft zu.

(a) Arcan. Naturae p. 12. ſeqq.

C. G. Rudolph,
von Breßlau aus Schleſien.
OPPONENS.

NOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

GODOFREDVS FERDINANDVS IAENSCH,

WRATISLAVIENSIS

M. S.

Quum per omne illud tempus, quod ambo in litteris conſumſimus, mihi contigerit, vt amicitia TVA ſuauiſſima fruerer, ac in praeſenti dies ille exoptatiſſimus appropinquet, quo dignam et omni TIBI iure debitam, pro TVA in patriae pariter atque aliorum hominum commodum adhibita diligentia, mercedem accipies, iniquiſſime facerem, ſi ego, quem TVA non ſolum amicitia dignari, verum alliis quoque gratis officiis, quae ſaepe ab illis, qui propinquitate inuicem ſunt coniuncti, non praeſtantur, proſequi voluiſti, ſi, inquam, ego diem hunc, qui tam ad Parentum TVORVM *Nobiliſſimorum*, quam TVI ipſius laudem atque honorem illuceſcit, ſilentio tranſire vellem. Verum enim vero cum virium mearum imbecillitatem cognitam ſatis et perſpectam habeas, voluntatem, quam TIBI gratus offero, pro viribus benigne accipies, quae nihil, niſi gratum illud atque integrum votum complectitur, vt omnes TVI conatus, vti hic, ita vbique feliciter TIBI proſpereque ſuccedant. Induſtria TVA indefeſſa, quae e docte et ſatis eleganter conſcripta Diſſertatione TVA abunde comparet, cuius ſtrenua defenſione Gradum Doctoris conſequeris, exemplar mihi ad imitandum erit praeſtantiſſimum. De reliquo, licet inſtans TVVS diſceſſus acerbiſſimum mihi adferat dolorem, temere tamen atque iniuſte agerem, ſi optare vellem, vt vnicum illud Parentum, ſumma iam iam ſenectute confectorum, ſolatium votis et precibus meis retineretur, atque ſpes et exſpectatio omnium TIBI bene cupientium diutius protraheretur, praeſertim quum de conſtanti TVA amicitia ſatis ſuperque iam ſim conuictus. Redi itaque feliciter dulce in patriae ſolum; applica ibi et confirma, quem inſigni TIBI hic comparaſti diligentia, eruditionis apparatum, ad maiores

ſiores adhuc felicitates conſequendas. TVA vero beneuolentia atque amicitia, qua nihil mihi prius, nihilque eſt antiquius, vt abſens quoque ſemper fruar, permittas quaeſo. Vale. Dab. Halae ad Salam, d. VII. Septembr. MDCCLIV.

Noch denck ich ſtets mit Luſt zurücke
An jene holden Augenblicke
Die mir zuerſt Dein Hertz geſchenckt;
Als ein geheimer Trieb mich lehrte,
Dis iſt er, den Dein Hertz begehrte,
Der Freund, den oft Dein Wunſch gedenckt.

Mein Hertze folgte dieſem Triebe;
Wir liebten uns, und unſre Liebe
Ward feſter mit verfloßner Zeit:
Die Seele ſog mit langen Zügen
Ein nie empfundenes Vergnügen
Aus unentweihter Zärtlichkeit.

Du eileſt auf der Weisheit Wegen
Dem wohl=verdienten Lohn entgegen,
Und nimſt ihn von Hygeens Hand:
Die Pflicht erfordert frohe Lieder,
Doch meine Freundſchaft murrt dawieder
Weil ſich Dein Abſchied mit verband.

Jedoch bey Deinem Glücke weinen
Dis würde eigennützig ſcheinen;
Dis Hertz, das Deiner würdig ſchien,
Vergiſt bey Deinem Glück das Trauren,
Weis Deinen Vortheil ohn bedauren
Der eignen Wolluſt vorzuziehn.

Geh', eile Freund betrit die Stufen,
Wohin Dich Pflicht und Ehre rufen;
Sey ſtets an edlen Thaten reich!
Kein Fall ſoll unſre Freundſchaft ſtöhren.
Selbſt die Entfernung ſoll ſie mehren;
Dein Glück ſey Deiner Tugend gleich.

J. C. T.
aus Schleſien.